

## Decis. Aurearum Pars II. Lib. I.

cem tanquam mendax. Exemplum in Confirmatione. Si minister proferendo verba diceret, signo te signo crucis, & non formet crucem, mentitur. Debet etiam minister dum dicit verba, vngere Confirmandum in fronte, ita ut si alibi fiat, nullum est Sacramentum. Et nota,

13 quòd † vnctio chris matis triplex fit in tribus sacramentis, quorum diuersitas ex fine accipitur: quia in baptismo fit in vertice, ad significandum fidei susceptionem, quia vertex est locus cellulæ rationalis. At per modum crucis, vt per crucem redemptoris siue crucifixum bona accepta in baptismo obtinere cognoscimus. In Confirmatione fit in fronte, ad significandum audaciam confessionis, cuius impedimentum scilicet timor, & uerecundia magis manifestatur in pallore, & rubore frontis, ex propinquitate cellulæ imaginariæ. Et fit in modum Crucis, ut in crucifixo, & per crucifixum fit tota spes, & fiducia confirmato, vt in tentationibus suis recogit eum, qui talem sustinuit contradictionem, ad Hebr. cap. 11. in Ordine verò fit in manibus, ad significandū potestatem consecrandi dominicum corpus. Hæc Petr. 4. dist. 7. q. 3. art. 3. Et ita ponit quòd manus presbyteri inunguntur chrismate. Hoc idem scripsit Gos. in sum. Sed hoc non est verum, secundum Host. sed inunguntur oleo benedicto. Et hæc probantur in Ordinario, ita Astens. lib. 4. de sac. Confr. art. 8.

14 Imponitur etiam † manus in Confirmatione, ut roboretur in confessione fidei contra pressuras mundi. Et sic nota triplicem manus impositionem, vnam ante baptismum in Catechismo, vt homo in fide roboretur in seipso. Aliā in Exorcismo, ut roboretur in pugna aduersus diabolum: & tertiam in Confirmatione. Qui verò sint effectus huius sacramenti:

15 Dic, † quòd per Confirmationem imprimitur character, ita D. Tho. Do. Bonauen. & Rich. Et ratio est: quia quemadmodum in baptismo imprimitur character fidei, conformans nos diuinæ sapientiæ, & in Ordine character po-

testatis, conformans nos diuinæ potentia, ita in Confirmatione imprimitur character plenitudinis Spiritus sancti conformans nos diuinæ bonitati. Datur etiam per confirmationem plenitudo copię gratiæ ad fortiter resistendum contra pressuras mundi. Vndè dicit text. in cap. Spiritus sanctus, & in cap. nouissimè, de consecr. dist. 5. quòd in hoc sacramento Spiritus sancti augmentatur gratia, ut confir memur ad pugnam. Quòd quidem

16 sacramentum non debet reiterari, cap. dictum, cap. seq. de consecr. dist. 5. Et ratio est: quia in hoc sacramento character imprimitur, character autem est signum indelebile, & perpetuum, vnde sacramentum, in quo character imprimitur est irreiterabile, alioquin enim fieret iniuria sacramento. Ita Turrecrem. in d. cap. dictum, nu. 4. vbi assert alias rationes, quas breuitatis causa omitto. Vltimò circa ritum multa diximus sup. nume. 7. & 8. & idèd more nostro solito deuenimus ad Decisiones. Quarum ista fit

Prima. Character Confirmationis de necessitate † præsupponit characterem baptismalem, ita scilicet, quòd si quis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet: cum baptismus sit fundamentum omnium sacramentorum, extra, de presbyter. bapt. c. 1. & cap. veniens. Et ratio est secundum D. Tho. in 3. par. quia Confirmatio sic se habet ad baptismum, quemadmodum augmentum ad generationem. Sed nullus potest peruenire ad ætatem perfectam, nisi prius fuerit natus, ergo si militer, nisi aliquis fuerit baptizatus, nõ potest sacramentum Confirmationis accipere. Character tamen Confirmationis non præexigitur de necessitate, quia sine illo recipitur quis characterem ordinis, tamen de congruo præexigitur. ita Pet. de Palu. in tract. de Confr.

18 Secunda. Pueri confirmati maiorem gloriam consequuntur, quàm pueri non confirmati, sicut in præfenti maiorem obtinent gratiarum: cum in Confirmatione detur augmentum gratiæ, cap. 2. de consecr.